

DE SYNODI EPISCOPORUM NATURA MELIUS DETERMINANDA

Ut sit completus titulus huius expositionis, sequens sit oportet: «*De Synodi Episcoporum natura e sua actione et evolutione melius determinanda*». Quae duo elementa: *actio* et *evolutio*, etsi coniuncta, sunt distinguenda; nos enim ad praxim recentiore condu-
cunt ut e factis melius intelligatur quid sit iam hodie Synodus Episcoporum.

Synodus Episcoporum a Paulo VI est instituta Litteris Apostolicis motu proprio «Apostolica Sollicitudo» die 15 septembris 1965 datis et quidem propria Pontificis decisione¹. Ipse textus Decreti «Christus Dominus» ultimo momento est mutatus ut ipsa Synodus iam a Paulo VI erecta dicatur, non iam aliquo modo optanda (CD 5). Textus ipse a Motu proprio hic est citandus ob eius multiplicem significationem. Dicit Paulus VI:

«Nunc autem, cum ad exitum vergat Concilium Oecumenicum Vaticanum II, opportunum advenisse tempus putamus conceptum iam diu propositum tandem ad effectum deducendi; idque eo libentius quod catholici orbis Episcopos scimus aperte hunc Nostro proposito favere, ut constat ex plurimorum sacrorum Patrum votis, quae de hac re in Concilio Oecumenico significata sunt.

Itaque, omnibus mature perpensis, pro Nostra existimatione atque observantia erga universos catholicos Episcopos atque ut iisdem copia datur manifestiore efficacioreque ratione participandi sollicitudinem Nostram erga Ecclesiam

¹ AAS 57 (1965) 775-780; EV 2/444-457.

*universam, motu proprio ac Nostra apostolica auctoritate erigimus et constituimus, hac in alma Urbe, stabile Episcoporum consilium pro Ecclesia universa, Nostrae potestati directe et immediate subiectum quod nomine proprio Synodus Episcoporum appellamus*².

Ipse Pauli VI textus utiliter examini est subiciendus. Quod hic non plene peragere possumus. Quaedam autem maioris iam momenti notanda sunt elementa:

In hac occasione, sicut et in aliis, Summus Pontifex, etsi discreto interventu, puncta maioris momenti doctrinalis propria auctoritate dirimit. Talia sunt recolenda puncta uti, primo, in Constitutione dogmatica «Lumen Gentium» verbum adiungendo «*hierarchica communio*» propriam potestatem et auctoritatem clare expressit (LG 21b); secundo, in Decreto «Perfectae Caritatis» in quo, ultimo momento, die 27 octobris 1965 verba adiunxit quo Instituta saecularia propriam naturam reaffirmavit; adiuncta sunt sex verba: «Instituta saecularia, *quamvis non sint instituta religiosa*, veram *tamen* et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferunt» (PC 11a); tertio, in Constitutione dogmatica «Dei Verbum» de Divina revelatione, die 18 novembris 1965 haec pauca, quattuor nempe adiunxit verba: «Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit et tenet quattuor recensita Evangelia, *quorum historicitatem incunctanter affirmat*, fideliter tradere quae Iesus, Dei Filius, ... reapse fecit et docuit usque in diem qua assumptus est (DV 19).

Unde clare ex dictis et factis dici videtur posse interventum Pauli VI Motu proprio «Apostolica Solli-

² AAS 57 (1965) 776; EV 2/445.

citudo» clarificationem doctrinae de episcopali collegialitate haberi, quae in pluribus adhuc remanet ulterius specificanda, uti apparet e Synodi extraordinarii I. actis³.

E motu proprio Pauli VI insuper plura sunt notanda:

1. Synodus dicitur consilium quod in bonum universae Ecclesiae agit eamque repraesentat⁴.

2. Et ipsi potestati Summi Pontificis directe et immediate subiectum⁵, nulli dicasterio Curiae est subiectum aut ab eo dependens. Munus secretarii generalis et secretariae Synodi paulatim melius determinantur. Et quidem triplici interventu⁶.

Insuper plura habentur huius temporis signa, plura alia cum ipsa constitutione hierarchica Ecclesiae clare connecta. Unde maximi momenti sunt sequentia Pauli VI verba e motu proprio «Apostolica Sollicitudo» citanda:

«Signa temporum attente perscrutantes vias et rationes sacri apostolatus in crebrescentibus nostrorum dierum necessitatibus mutatisque societatis condicionibus aptare contendimus, Nos impellit ut coniunctionem Nostram cum Episcopis quos Spiritus Sanctus posuit... regere Ecclesiam Dei⁷, arctioribus usque vinculis confirmamus⁸».

Rationem actualitatis Synodi exponit Paulus VI sequenti modo:

³ *Synodus generalis extraordinaria* II^a, 27.10.1969; AAS 61 (1969) 716-271; 723-726; 726-730.

⁴ AAS 57 (1965) 776; EV 2/445.

⁵ *Ibidem*.

⁶ AAS 57 (1965) 780. De hac evolutione postea dicemus. Vide AAS 59 (1967) 91-103; 61 (1969) 522-539; 63 (1971) 702-704.

⁷ *Act. Apost.* 20, 28.

⁸ AAS 57 (1965) 775; EV 2/444.

«Aetate enim nostra perturbata quidem et discriminum plena, sed ad salutares coelestis gratiae afflatus tantopere patente, cotidiano experimento comperimus quantum prosit apostolico officio Nostro huiusmodi cum sacris Pastoribus coniunctio quam proinde Nobis in animo est omni ope provehere ac fovere, ne Nobis, — ut alias asseveravimus⁹, illorum praesentiae solacium, illorum prudentia ac rerum usus auxilium, illorum consilii munimentum, illorum auctoritatis suffragium desit¹⁰.

In ipso Motu proprio ipse Paulus VI novae huius institutionis synodalis evolutionem praevidit et quidem claris verbis:

«Haec Synodus, quae omnium humanorum institutorem more, successu temporis, perfectiorem usque formam assequi poterit...»¹¹.

Quae evolutio iam hodie recognita fit nobis ratio melioris huius institutionis intelligentiae eiusque naturae melioris experientiae.

Synodorum evolutio

Attamen quaedam sunt hic notanda, quae generali Synodi descriptioni vel definitioni non plene correspondent.

Inter normas in Motu proprio stabilitas amplio-rem videtur et diversam statui huius Synodorum activitatis formam. Sub norma IV legimus:

⁹ *Allocutio ad Patres Conciliares* habita, III^a exacta Oec. Synodi sessione, in AAS 56 (1964) 1011; EV 1/288.

¹⁰ AAS 57 (1965) 775; EV 2/44.

¹¹ *Ibidem*.

«*Synodus Episcoporum congregari potest in coetum generalem, in coetum extraordinarium et in coetum specialem*¹².

In quo ultimo «Episcopi selecti e diversis orbis regionibus»¹³ neque praevidentur, neque habentur.

Coetus generales, etiam et melius nunc *ordinarii* vocati, fuerunt hucusque novem et quidem annis 1967, 1971, 1974, 1977, 1980, 1983, 1987, 1990 et 1994¹⁴.

Coetus extraordinarii duo fuerunt, annis quidem 1969 et 1985¹⁵.

¹² AAS 57 (1965) 777; EV 2/448.

¹³ *Ibidem*, sub norma I.

¹⁴ De unaquaque Synodo ordinaria habetur volumen a G. CAPRILE, S.I. editum et quidem in Ed. *La Civiltà cattolica*, eodem semper titulo *Il Sinodo dei Vescovi*. Prima fuit anni 1967, edita 1968, 672 p.; secunda anni 1971, edita 1972 vol. I, p. 1-685 et vol. II p. 689-1253; tertia anni 1974, edita 1975, 1084 p.; quarta anni 1977, edita anno 1978, 634 p.; quinta anni 1980, edita anno 1981, 842 p.; sexta anni 1983, edita anno 1984, 868 p.; septima anni 1987, edita anno 1989, 770 p.; octava anni 1990, edita anno 1991, 767 p. Nona celebrata est anno 1994; cuius acta mox publici iuris fiunt a P.G. FERRARO S.I. qui hac in synodo P. Caprile nuper defuncto succedit.

¹⁵ Coetus extraordinarii Synodi Episcoporum fuerunt duo atque valde diversi.

Anno 1969 a die 11^a ad 28^a octobris egit prima de conferentiis Episcoporum et Sancta Sede; de relatione inter conferentias ipsas. Eius acta habentur in G. CAPRILE, *Il Sinodo dei Vescovi 1969. Prima assemblea straordinaria. Documenti, dibattito, orientamenti*. Vol. I, 531 p. et vol. II, 531 p. Vide etiam P. HAUBTMANN, *Le point sur le Synode*, in *Présence et Dialogue*, Numéro spécial, 119 p.

Relationes doctrinales fuerunt tres: «*Elapso Oecumenico Concilio*», in EV 3/1653-1682; «*Pastor Aeternus*»; de *arctiore coniunctione Episcoporum Conferentias inter et Sedem Apostolicam* in EV 3/1683-1703; «*Nunc nobis*»; de *arctiore coniunctione*

Coetus speciales tres fuerunt convocati, annis nempe 1980, 1991 et 1994¹⁶.

Uti diximus, e Synodorum convocatione et constitutione, immo e materia ab eis tractata et e modo quo sunt celebrata plura ad naturam Synodi eiusque actionem melius intelligendam attente consideranda sunt.

Utiliter hic iam notanda est diversa omnimodo positio quam Synodus Episcoporum in utroquo codice latino et Orientalium Ecclesiarum obtinet (cc. 342-348 CIC). Quo in ultimo codice vox «Synodus Episcoporum» in uno solo canone 46 habetur¹⁷, quin de eius natura, convocatione et celebratione agatur¹⁸.

Hodie insuper clarius sunt plura agnoscenda.

inter ipsas Episcoporum Conferentias in EV 3/1704-1744. Declaratio finalis *Prima di concludere* (28.X.1969) habetur in «L'Osservatore Romano» 29.X.1969. De hac Synodo Episcoporum vide etiam *Periodica* 57 (1968) 495-692.

Altera Synodi Episcoporum assemblea extraordinaria celebrata est diebus 24.XI - 8.XII anni 1985. Thema eius fuit magni momenti, nam celebrata fuit in XX^o anniversario conclusionis Concilii Vaticani II. Vide G. CAPRILE, *Il Sinodo straordinario 1985. Seconda Assemblea straordinaria*, Edizioni *La Civiltà cattolica*, 1986, 627 p. De hac Synodo vide etiam: *Synode extraordinaire. Célébration de Vatican II*, Cerf, Paris 1986, 679 p. De hac Synodo fusius agemus in parte II^a huius expositionis. Documenta quaedam iam sunt etiam invenienda et quidem *Nuntius* Synodi in EV 1770-1778 atque *Relatio finalis: Ecclesia sub Verbo Dei mysteria Christi celebrans pro salute mundi* in EV 9/1779-1818.

¹⁶ *Coetus speciales* fuerunt Synodus anno 1980 celebrata de qua vide *infra* notam 24, et Synodus anno 1991 convocata de qua *infra* notam 25 et tertia anno 1994, de qua *infra* notam 26.

¹⁷ Ille c. 46 habetur sub titulo III^o, cap. I^o. De Romano Pontefice.

¹⁸ De tota hac materia fieri poterit aliquando Constitutio Apostolica, ut habetur iam de Curia Romana *Pastor Bonus* die 19 iunii 1988 data. Vide AAS 80 (1988) 841-934.

Synodi generales, quae aliae ordinariae, aliae extraordinariae vocari possunt de totius Ecclesiae egerunt vita, dum Synodi speciales egerunt vel de situatione unius nationis, quae anno 1980 fuit neerlandicae¹⁹; anno 1991 fuit de Europaeo Continente²⁰; anno 1994 fuit Africae²¹. Paratur etiam Synodus Libanensis mox celebranda.

In Litteris Apostolicis «Tertio millennio adveniente» praevidentur Synodi speciales tres; duae dicuntur *continentales*, unius erit totius Americae, altera Asiae, tertia quae utilis praevidetur in hac Epistula apostolica, erit *regionalis* pro Oceania²².

Sub nomine «Synodi Episcoporum», quae est «universae Ecclesiae consilium»²³, difficulter assumi

¹⁹ De hac Synodo anno 1980 celebrata cuius thema fuit *De pastoralis Ecclesiae opere in Neerlandiae in praesenti rerum statu exercendo conclusiones habentur gallice et neerlandice exarata: Reconnaissants envers Dieu - Dankbaar jegens God*, in AAS 72 (1980) 215-232 et 232-250.

²⁰ Anno 1991 celebratur Synodus continentalis i.e. Europea. De qua Synodo vide G. CAPRILE, S.I.: *Il Sinodo dei Vescovi, Assemblea speciale per l'Europa*, Edizioni La Civiltà cattolica, Roma 1992, 641 p. Vide etiam opus *Testimoni di Cristo. Documenti ufficiali dell'Assemblea speciale del Sinodo dei Vescovi per l'Europa: «Ut testes simus Christi qui nos liberavit». Sintesi originali degli interventi e Dichiarazione finale dei Padri Sinodali* (a cura di M. UBALDI), Edizione Logos, 1992, 150 p.

²¹ Hucusque nullo volumine sunt publici iuris facta acta Synodi anno 1994 celebratae, quae nuper est conclusa. Titulus eius est: *De Ecclesia in Africa et eius missione evangelizatrice ad annum 2000: Mihi eritis testes*. In AAS 87 (1995) 179-185 invenitur Allocutio S.P. Ioannis Pauli II ineunte hac Synodo. *Nuntius Patrum Synodali* publici iuris factus est die 9 maii 1994 *Sicut Maria Magdalena missus* in *L'Osservatore Romano*, die 8 maii 1994, pp. 4-6.

²² AAS 87 (1995) 5-41. Vide pp. 30-31.

²³ Cf. AAS 57 (1965) 776 ubi dicitur «stabile Episcoporum consilium pro Ecclesia universa».

et plene intelligi possunt notio et actio Synodorum specialium²⁴.

Synodi ordinariae

Synodi ordinariae, quae triennales praevidebantur²⁵, valde diversa fuerunt. Qua diversitate apparent Synodi obiectum et finalitas sed etiam rapida, uti dicam, evolutio.

In primis Synodis puncta quaedam particularia ab ipso Summo Pontifice ad disceptationem sunt proposita. Sic in prima Synodo, anno 1967, Patres synodales interrogabantur circa quinque puncta: De principiis quae recognitionem codicis iuris canonici dirigant oportet²⁶; de opinionibus periculosis hodiernis necnon de atheismo; de renovatione seminariorum, de matrimoniis mixtis, de sacra liturgia. Quae quinque puncta et executio resolutionum Synodi anni 1967 in Litteris circularibus Praesidibus Conferentiarum Episcoporum «Primo generali» die 14 novembris 1968 notificantur²⁷.

In secunda Synodo ordinaria, anno 1971, puncta examinanda fuerunt duo, primum «de sacerdotio

²⁴ Cf. Norma VII in AAS 57 (1965) 778. Forsitan quis dicere poterit Synodum etiam specialem esse universalem ob Episcopos alius regionis vel continentis invitatos vel ob praesentiam Cardinalium aliorumque Praelatorum qui sunt Praefecti vel Praesides alicuius dicasterii Curiae Romanae.

²⁵ Quae norma e factis eruitur. Triennales fuerunt Synodi a secunda ordinaria (1971) ad sextam (1983). Interruptio habetur ob Synodum extraordinariam anni 1985. Triennales iterum sunt Synodi annis 1987 et 1990 celebratae. Ultima post quattuor annos anno 1994 convocata est.

²⁶ Vide Communicationes 2 (1969) 77-100.

²⁷ In AAS non habetur; publici iuris fit in EV 3/354-359.

ministeriali», alterum «de iustitia in mundo». In fine huius Synodi habetur *Rescriptum* ex audientia, die 30 novembris 1971 datum²⁸ et publici iuris fiunt duo documenta in Actis Apostolicae Sedis, uno de utraque materia in hac Synodo tractata²⁹.

Magna habetur mutatio in convocatione et celebratione tertiae Synodi ordinariae, anno 1974. Thema generale est unicum sed extensum, nempe «De evangelizatione in mundo huius temporis»³⁰. Concluditur Synodus aliqua «Declaratione» Patrum Synodali³¹, sed materia tota reproponitur in Adhortatione Apostolica Pauli VI *Evangelii Nuntiandi*³². Quae adhortatio ab ipso Paulo VI edita est ut superetur inter secretarios speciales doctrinale magni momenti discrimen.

Quarta Synodo ordinaria, prima sub pontificatu Ioannis Pauli II, est celebrata anno 1977 et concluditur Adhortatione Apostolica *Catechesi Tradendae*³³.

Synodus ordinaria quinta anno 1980 celebrata «De muneribus familiae christianae in mundo hodie» quaedam nova in activitate Synodi introduxit, nempe praeter Patrum synodali³⁴ «Nuntium conclusivum», publici iuris fiunt «Propositiones Synodi» quae quadraginta tres fuerunt et Summo Pontifici concreduntur: «ut tempore opportuno Ecclesiae universae documentum velit offerre de muneribus familiae christianae sicut per Adhortationem apostolicam

²⁸ AAS 63 (1971) 897.

²⁹ AAS 63 (1971) 898-942.

³⁰ Textus quo Synodus convocatur habetur in G. CAPRILE, *Terza assemblea generale 1974*, pp. 53-54.

³¹ EV 5/611-624.

³² AAS 58 (1976) 5-76; EV 5/1588-1716.

³³ AAS 71 (1979) 1277-1340; EV 6/1764-1939.

«Catechesi tradendae» fecit post Synodum anni 1977»³⁴. Quod documentum publici iuris fit anno 1981 ut *Adhortatio Apostolica «Familiaris Consortio»*. *De Familia christiana muneribus in mundo huius temporis*³⁵.

In paranda VI^a Synodo, anno 1983 celebranda, quae fuit «De reconciliatione et poenitentia», nova quaedam habentur. Prima vice Synodus duplici documento initia habet; primum documentum vocatur *Lineamenta*. Paratur a Consilio secretariae Synodi et publici iuris fit; immo die 28 ianuarii 1982 diariorum relatoribus ab ipso secretario generali Synodus proponitur³⁶. Alterum documentum *Instrumentum laboris* vocatur. Patribus synodalibus ab ipso Summo Pontifice praesentatur Epistola cuius «incipit» est «Hae litterae», die 25 ianuarii 1983 data³⁷.

In fine Synodi VI^{ae} iterum ad fideles mittitur Nuntius cuius «incipit» est «Cor hominum». Eius titulus habetur sequens: «De reconciliationis sacramento, misericordiae Dei signo». Hoc titulo non plene videtur exponi huius Synodi obiectum³⁸. Concluditur autem Synodus illa VI^a cum *Adhortatione Apostolica*, die 2 decembris 1984 edita, cuius titulus *De Reconciliatione et poenitentia in hodierno Ecclesiae munere*³⁹. Et iterum mutatur titulus et praesentatio materiae in hac Synodo VI^a tractata.

In Synodis ordinariis sequentibus parandis et

³⁴ *Nuntius conclusivus* habetur in EV 7/807-829; *Propositiones* habetur in EV 7/695-806.

³⁵ AAS 73 (1981) 81-191; EV 7/1522-1810.

³⁶ EV 9, p. 1005-1006: nota.

³⁷ Textus in AAS non habetur. Vide Epistolam «Hae litterae» in EV 8/533-544. *Instrumentum laboris* in EV 9/1-123.

³⁸ EV 9/413-416.

³⁹ AAS 77 (1985) 185-275; EV 9/1075-1207.

celebrandis abhinc eadem documentorum habetur elaboratio: *Lineamenta, Instrumentum laboris* quibus Synodi habentur materiae praesentatio sed etiam et aliqua enucleatio. Ipsum «Instrumentum laboris» Episcopis a Summo Pontefice mittitur et quidem speciali epistula⁴⁰. In conclusione Synodi mittitur ad fideles «Nuntius Patrum synodali» et editur documentum Summi Pontificis quod *Adhortatio Apostolica post Synodum data* vocatur.

At in Synodo ordinaria VII^a Propositiones ad Summum Pontificem destinantur sed modo indiscreto publici iuris fiunt. Synodus agebatur «*De vocatione et missione laicorum in Ecclesia et in mundo*»⁴¹.

In Synodo VIII^a, quae «*De sacerdotibus formandis in hodiernis adiunctis*» egit, idem iter servatur: *Lineamenta, Instrumentum laboris, Propositiones, Nuntius, Adhortatio Apostolica*, quae nunc *Exhortatio Apostolica postsynodalis* vocatur⁴².

⁴⁰ Vide EV 10/1581-1731.

⁴¹ *Nuntius Patrum Synodali* habetur in EV 10/2215-2243. *Propositiones* etiam in EV 10/2103-2214. Ipsa *Adhortatio Apostolica* habetur in AAS 81 (1989) 393-521; EV 11/1605-1900.

⁴² *Adhortatio Apostolica postsynodalis* habetur in AAS 85 (1992) 657-804. Etsi non omnia de Synodis habentur documenta publici iuris facta, tamen iam plura de hac Synodo in AAS nunc habentur. De hac Synodo VIII^a plura magni momenti habentur in *Epistula universis presbyteris in Cena D. ni missa*. AAS 82 (1990) 418-421. Vide praesertim pp. 419-421. Etiam in *Allocutione ad sodales Consilii Secretariae generalis, ibidem*, pp. 906-909. Item in *Allocutione ad Curiam Romanam* (20.XII.1990), *ibidem*, pp. 740-747. Magni etiam momenti sunt quae habentur de communione ecclesiali, de collegialitate effectiva et affectiva Ecclesiam inter particularem et universalem. *Ibidem*, 83 (1991). Allocutiones S.P. ineunte Synodo pp. 469-472; *In postrema congregatione* pp. 494-499 et *Synodo expleta* pp. 500-502.

Lineamenta et Instrumentum laboris et Relatio ante et post disputationem et *Nuntius* habentur in G. CAPRILE, *Il Sinodo dei*

E vita synodali apparet quaenam sit Synodi ordinariae evolutio. Melior fit Synodi praeparatio ob duo saltem documenta praevia. Propositiones Summo Pontifici praesentantur, non autem omnes in adhortatione vel exhortatione post-synodali assumuntur. De qua selectione propositionum discreta exstant auctorum commentaria.

Et ponitur quaestio: Estne Synodus ordinaria adiutorio Summo Pontifici in gubernanda Ecclesia? Et quidem, uti eam praevidebat Paulus VI?

Responsio fit hodie prudens et discreta. Optima habetur Synodi *doctrinalis* actio, cum de Ecclesiae situatione habetur visio, etsi etiam pro parte negativa. Indirecte videtur Synodi actio *gubernativa*. Collegiales enim habentur in ea reflexio et collaboratio. Quae *dogmatica* valutatio adhuc melius est considerata prout in concreto, exercitio supremae potestatis in Ecclesia, collegialis et primatialis, est inserenda. Quae sunt doctrinae expositio et indagatio bono universae Ecclesiae indubitanter conferunt.

Ex eo quod Synodi ordinariae etiam magis doctrinales fiunt, in hac eius materia facilius et clarius totius Ecclesiae partes agunt.

Quandam ultro considerata

His iam praemissis, quaedam attentius nunc sunt considerata. Cum in Synodis, praesertim ultimis, de doctrina saepius agebatur, non autem de directa et concreta propositionis applicatione, exsurgebant

Vescovi, 1990, Ed. *La Civiltà cattolica*, 1991 pp. 531-569; 570-634; 635-668; 669-708; 709-714. Vide etiam *Synode, Rome 1990, La formation des prêtres*, Centurion-Cerf, Paris 1991, 334 p. Vide pp. 319-323 relationem qua die 27.X.1990 *Propositiones* describuntur.

quaestiones doctrinales melius examinandae. Sic, uti videbimus, in prima Synodo extraordinaria, anno 1969, exoptata est de natura Conferentiae Episcoporum theologica investigatio. Qui investigationis fructus documento erat declarandus. Quod documentum saepius novo examini iterum et iterum est subiectum⁴³. Renovata etiam ultima redactio anno 1994 peracta Episcopis est missa ut ab ipsis iudicetur. Forsitan et hoc Episcoporum iudicium non fuit positivum. Documentum illud nondum est publici iuris factum. Quaestio hic ponenda est. Quibus Episcopis documentum missum est? Quomodo facta est eius examinatio? Cur sequenti Synodo non fieret eius emendatio, vel etiam eius revisio et, si necesse sit, nova eius redactio? Relationes successivae, si etiam plures et diversae, eo magis conclusivam reddunt alicuius documenti evaluationem et consequenter eius publicationem.

Inter alia tria maiora examinanda Synodorum puncta fuerunt quae hodie remanent non definitive profundius examinata et soluta. Sunt sequentia: de laici definitione⁴⁴, de consiliis evangelicis in vita sacer-

⁴³ Publici iuris factus est textus a Congregatione Episcoporum paratus cui titulus *Le Conferenze episcopali* a periodico *Regno-Doc.* 33 (1988) 390-396 divulgatus, qui habetur in *EV* 10/1844-1913.

⁴⁴ Definitio «laici» propria in Concilio Vat. II non habetur. Laicus dicitur qui non est clericus et religiosus (*LG* 31 a. Cf. *AA* 25 a) et bis laicus qui non est clericus (*LG* 43 b et 44 d. Cf. *AA* 26 c). Confusio est certa. Quaeri potest utrum servanda est haec notio abstracta et secus quibus et quando applicanda. Vide de hac re studium meum *Le laïc dans l'Eglise* in *Renouveau du droit et du laïc* dans *l'Eglise*, Tardy, Paris 1993, 184 p. Vide pp. 103-114; italice in *Il rinnovamento del diritto e del laicato nella Chiesa*, Ancora, Milano 1994, 196 p. Vide pp. 105-117.

dotali ut lex vitae assumendis⁴⁵, de ipsa vitae consecratae natura⁴⁶. Quae puncta ulteriori examini subiuntur. Sunt et alia non facile solvenda, uti una de fidelibus matrimonio coniunctis vitae evangelicae vel consecratae deditio vel consecratione⁴⁷, altera de applicatione principium subsidiaritatis in vita et gubernio Ecclesiae⁴⁸.

In VII^a Synodo ordinaria, anno 1987 celebrata, ipse cardinalis Ratzinger fuse exposuit cur necessaria esset ipsius «fidelis laici» definitio⁴⁹. At de hac re nulla in documento postsynodali ulterior habetur disquisitio: immo miro quidem modo hoc in documento dicitur non dari de laico definitionem⁵⁰, etsi

⁴⁵ Magni momenti sunt quae de consiliis evangelicis dicuntur in decreto *PO* 15-17. Quae expositio videtur amplior quam ea quae habetur in *PC* 12-14. Synthesis doctrinae optanda est ut consilia evangelica non iam videantur propria vel religiosis vel aliis personis Deo consecratis riservata.

⁴⁶ Ipsa «vitae consecratio» quae dicitur peracta a quibus consilia evangelica tria ut legem vitae assumunt, semper profundius est consideranda ut actus amoris quo ipse vocatus Dei caritati et amoris respondeat.

⁴⁷ Cf. *Carismi e impegni II*, in *Vita Consacrata* 27 (1991) 623-630. Vide pp. 628-630: *Consacrazione e matrimonio*.

⁴⁸ De hoc principio vide J. BEYER, *Principe de subsidiarité ou "juste autonomie" dans l'Église*, in *Nouvelle Revue Théologique* 108 (1986) 801-822 et *Le principe de subsidiarité: son application en Église*, in *Gregorianum* 69 (1988) 435-459. Quo in studio etiam examinantur auctorum sententiae, qui sunt Nell-Breuning, Kasper et Hamer.

⁴⁹ Vide G. CAPRILE, *Il Sinodo dei Vescovi 1987*, Roma 1989. Vide pp. 180-181.

⁵⁰ Vide IOANNES PAULUS II, *Adhortatio apostolica postsynodalis «Christifideles laici»*, 30 decembris 1988, in *AAS* 81 (1989) 393-521; *EV* 11/1606-1900. Vide *AAS*, pp. 495-496; *EV* 11/1630-1638 ubi de descriptione laici «positiva» verba fiunt, at nulla laici datur definitio. Ponitur quaestio utrum servanda sit haec notio. Vide quae scripsi de hac re in *Renouveau du droit et*

ipse «fidelis laicus» esset Synodi et exhortationis postsynodalis obiectum⁵¹ cuius exhortationis est titulus *Christifideles laici*⁵².

Eadem difficultas doctrinalis habetur in VIII^a Synodo ordinaria anno 1990 celebrata, de formatione presbyterorum in qua fuit quaestio de consiliis evangelicis a sacerdote servandis⁵³. De qua materia iam agebat Decretum «Presbyterorum Ordinis» et quidem sat fuse (*PO* 15-17)⁵⁴. Initio huius partis consilia evangelica «virtutes» vocantur (cf. *PO* 15a)⁵⁵; in Lineamenta «attitudines»⁵⁶. Finaliter ab ipso Summo

du laicat dans l'Église, Paris 1992, 103-114. In editione italiana: *Il rinnovamento del Diritto e del laicato nella Chiesa*, Milano 1994, 105-117.

⁵¹ Cf. studium nostrum, *L'Exhortation Apostolique «Christifideles laici»*, in *Renouveau du droit et du laicat* (cf. nt. 50), 115-141. Italice in *Il rinnovamento del diritto e del laicato nella Chiesa* (cf. nt. 50), 119-149.

⁵² Ratio fundamentalis cur vitanda est notio «laicus» in eo habetur quod omnes Ecclesiae membra sunt «christifideles», inter quos in eorum servitium clerici adnumerantur. Vitanda ergo est oppositio inter clerum et laicatum; immo inter laicos tot sunt personarum ordines ut vix vitetur confusio et exinde eorum ignorentur propria et specifica iura et officia. Quod clare apparet in CIC, cc. 224-231. Synthesis est optanda inter hos canones et cc. 208-223.

⁵³ Consilia evangelica ab omnibus sacerdotibus servanda esse videntur, ex eo quod omnes invitantur ut imitari velint quod tractari debent, praesertim in oblatione eucharistica.

⁵⁴ Infine *PO* 17 quae de presbyteris exoptantur, etiam ab Episcopis desiderantur (*PO* 17e).

⁵⁵ Textus citatur in *Adhortatione post-synodali «Pastores dabo vobis»*. Vide AAS 84 (1992) 701, n. 28.

⁵⁶ Ratio istius denominationis data est sequens: consilia evangelica sunt religiosorum, et quidem voto assumpta in eorum professione. Quae ratio est deficiens etiam ob professionem religiosam in qua vota explicite non habentur. In Regula Sancti Benedicti oboedientia a professo Abbati promittitur.

Pontifice dicuntur «consilia evangelica» et quidem in Exhortatione postsynodali anni 1992⁵⁷ ut sunt forma quaedam «radicalismi evangelici»⁵⁸. Mens plurium erat consilia esse religiosi propria, voto quidem coram Deo assumpta⁵⁹.

In Synodo ordinaria IX^a eadem fit difficultas non tantum terminologica sed doctrinalis, cum non clare exponatur et definiatur quid sit «vita consecrata» de qua agebatur in Synodo. Quae vita consecrata alia dicitur «religiosa», alia saecularis, alia vel communitaria, vel associativa vel etiam individualis. In votis est ut in Exhortatione Apostolica postsynodali haec omnia melius distinguantur et definiantur, speciatim quatenus sit vita consecrata alia sacerdotalis, alia simplicis fidelis⁶⁰. Immo, uti exoptatur, ipsa consilia evangelica in consecratione vitae assumpta, proprio modo in vita religiosa et in vita saeculari observantur et exprimuntur⁶¹. Quae consecratio vitae hucusque

⁵⁷ Cf. AAS 84 (1992) 657-804. Vide 700-709, nn. 27-31.

⁵⁸ Haec denominatio habetur in AAS 84 (1992) 657-804. Vide 701, n. 27, initio.

⁵⁹ Duo sunt hic notanda: non solis religiosi hodie propria est emissio votorum, etiam publicorum quibus in consecratione vitae consilia evangelica etiam tria explicite assumuntur. Etsi votum sit actus religionis, aliae formae sese dedicandi uti sunt promissio, iuramentum et propositum in ipsa consecratione vitae, etiam implicite assumpta, fiunt, ratione ipsius consecrationis actus religionis seu cultus prout in amoris donatione inseruntur.

⁶⁰ Etiam pro religioso, qui sit monachus, sacrificium eucharisticum quotidianum est et manet invitatio vocationalis ad consilia evangelica semper melius servanda ut consecratio plenius sit actus laudis et amoris Dei et caritatis ecclesialis. De his elementis essentialibus vide c. 603, § 1: sunt enim laus Dei et salus mundi, optime hic expressa.

⁶¹ Conamen Institutorum saecularium, ut propria consecratio exprimatur, est magni momenti et fiat etiam pro aliis vitae consecratae institutis utilis clarificatio peragenda.

habetur cum explicita trium consiliorum praxi at tum in historia, tum in concreta vitae consecratae observantia haec tria consilia non necessario in ipsa formula consecrationis exprimuntur⁶².

Remanent etiam quaestiones profundius tractandae. In hac Synodo ordinaria sunt passim considerata, certo non soluta; sunt sequentia:

*Quaenam habeatur vita consecrata in motu sic dicto ecclesiali?*⁶³ *Estne consecratio vitae per consilia evangelica in matrimonio assumenda?*⁶⁴

Conclusio

Quam huius expositionis materiam concludere possumus generali aliqua observatione.

Synodus Episcoporum primo proponebatur ut aliqua strictioris collegialitatis collaboratio cum Summo Pontifice, qui Episcopos interrogans eorum mentem et responsionem expectabat — fuit methodus trium primarum Synodorum, anno nempe 1967, 1969 et 1971.

Postea materia tractanda fit generalior, magis doctrinalis, etsi in praxi vitae considerata et melius applicanda. Sic fuerunt Synodi sequentes anno 1974,

⁶² Sic in professione Ordinis praedicatorum in qua sola oboedientia promittitur; quae oboedientia est etiam in constitutionibus servandis. Idem habetur in professionis formula Cartusianorum.

⁶³ Eo magis doctrinaliter res est investiganda, cum saepius et quidem feliciter motus ecclesiales sunt et remanent associationes privatae iuxta cc. 321-326.

⁶⁴ Vide supra nt. 47. Non videtur consiliorum evangelicorum observantia in matrimonio servanda, nisi ambo coniuges in plena velint vivere continentia, ut eorum propria consecratio plenior evadat.

1977, 1980, 1983, 1987, 1990 et 1994. Quae Synodorum materia amplior et generalior ulteriora studia exposcunt de quibus parandis et publicandis, uti diximus, nonnullae habentur difficultates et incertitudines.

Quo apparent hodie Synodi natura et activitas semper magis fieri «ecclesiales», hoc quidem sensu, quod non de singulis gubernationis punctis sed de doctrina et fidelium omnium vita agitur. Hac evolutione videtur Synodus magis «ecclesialis», simul doctrinalis et pastoralis, adiutorio muneri Ecclesiae docendi et dirigendi, quae munera sunt natura sua sanctificandi et ad charismata et dona Spiritus plenius recognoscenda et recipienda conducunt.

JEAN BEYER, S.J.